



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

xi. An priuetur occidens clericum, vel Regularem, vel etiam Episcopum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

tantum immunitas Ecclesiarum denegatur. Vide dub. 2. 3. sect. 4. & seqq.

SECTIO XIX.

An immunitate priuetur Regia tributa, vel fiscum fraudans, aut Reipublicæ pecunias in suos vsus conuertens? Vbi etiam de obstricto ad reddendum ratiocinia ratione tutelæ, vel officij Regij.

SVMMARIVM.

- 1 Fraudans Regia Tributa, aut Reipublica pecunias in suos vsus conuertens, non priuatur immunitate.
- 2 Authentica de mandatis Principum, vt diximus fuit correctæ per ius canonicum.
- 3 Ius ciuile, cum discordet à Canonico in materia immunitatis, standum est iuri canonico.
- 4 Obligatus ad reddendum ratiocinia ratione tutelæ, vel administrationis, si sit in fraude, multo minus priuatur immunitate.
- 5 Textus in can. vxor, 17. q. 4. non loquitur de homine libero, sed de seruo.
- 6 Officialis Regius, & debitor ex causa syndicatus multo minus priuatur immunitate.

Responderetur etiam negatiuè, ob easdem rationes dictas; atque ita contra Sarpum de iure asylorum, c. 5. f. l. 52. & Cutell. de immunit. Eccle. lib. 1. q. 32. n. 41. & seqq. docent Angel. verb. Immunitas, n. 15. Silu. eodem verb. 3. num. 8. Tabien. n. 8. Armilla n. 12. Suarez de relig. tom. 1. lib. 1. c. 11. n. 3. Fagundez præcept. 2. lib. 4. c. 4. n. 53. Villalob. in summ. tom. 2. tract. 39. d. f. 7. n. 17. (vbi citat Abbatem, Lopez, & Bobadillam) Ambrosin. de immunit. c. 13. n. 2. Farinac. c. 3. n. 61. Germon. de sacror. immunit. lib. 3. c. 16. n. 11. & Castrus Palas tom. 2. tract. 11. disp. vnic. punct. 8. n. 5. & videri poterunt quæ dicebantur dub. 11. sect. 5. & 6.

Obiicies, est in contrarium Authent. de mandatis Princip. §. publicanorum: ergo, &c.

- 1 Responderetur, concedo antecedens. At id nihil obstat, quia correctæ iam illa est per ius canonicum; cum autem in materia immunitatis discordat ius ciuile à canonico, standum est iuri canonico, etiam in foro ciuili, sicuti ex communi docent Gutier. in præf. 99. lib. 4. q. 4. n. 4. Tusch. verb. Ecclesia, concl. 10. n. 19. & verb. Immunitas, concl. 9. n. 13. Germon. de sacror. immunit. lib. 3. c. 16. n. 21. Peguera in præf. crimin. c. 26. n. 6. & Specrellus decis. 52. n. 32. & nos dicebamus supra dub. 5.

Hinc sequitur primò, contra Cutell. loc. cit. quod à fortiori multò minus immunitate priuetur obligatus ad reddendum ratiocinia ratione tutelæ, vel administrationis. Nec obstat textus in cap. vxor, 17. q. 4. vbi quidam seruus obligatus ad ratiocinia reddenda, confugit ad Ecclesiam: & Gelasius Pontifex mandauit, quod præfrito impunitatis iuramento, ex illa extraheretur. Nam (vt rectè aduertit præter alios Decianus lib. 6. c. 28. n. 26.) non loquitur textus ille de homine libero, sed de seruo, qui (cùm sit quid Domini) certum est, quod Domino, præfrito impunitatis iuramento, restitui debeat.

Sequitur secundò, contra eundem Cutellium, quod similiter à fortiori multò minus immunitate priuetur officialis Regius obligatus, & debitor ex causa syndicatus, sicuti notauit præter alios Farinac. in append. de immunit. c. 2. n. 66. Vide quæ dicebantur supra citata dub. 11. sect. 1. & seqq.

Th. Delbene de Immunit. Eccl. Pars II.

SECTIO XX.

An immunitate priuetur iudex, vel alius minister extrahens ab Ecclesia confugientem ad illam?

SVMMARIVM.

- 1 Crimen extrahendi reos ab Ecclesia non est de exceptis: & ideo extrahens gaudet immunitate, contra graues Doctores.
- 2 Iudex, & minister in tali casu indignus est, vt immunitate gaudeat, cum alterum immunitate priuauerit, secus est inspecta Ecclesie pietate.

Responderetur etiam negatiuè ob easdem rationes dictas, quod scilicet crimen extrahendi reum ab Ecclesia non sit vnum de exceptis. Atque ita docet Farinac. in append. de immunit. c. 6. n. 106. Quamvis contrarium sentiant graues Doctores, inter quos Decian. tract. crimin. lib. 6. c. p. 25. n. 7. & c. 26. n. 9. Mar. Ital. de immunit. lib. 1. c. 5. §. 15. Anast. Germon. de sacror. immunit. lib. 3. c. 16. n. 104. & seqq. Cutell. de immunit. Eccle. lib. 1. quæst. 11. & Petr. Gregor. synt. ag. iuris lib. 33. c. 21. n. 3. & c. 22. n. 2.

Obiicies, iudex, vel minister in tali casu indignus est, vt immunitate gaudeat, cum alterum immunitate priuaret, quapropter conqueri non potest, quod eadem mensura, qua alios mensus est, remetiatur: ergo, &c.

Responderetur, distingo antecedens: indignus est, vt immunitate gaudeat, si spectetur ad pietatem Ecclesie, nego antecedens: si spectetur ad personam, & delictum, concedo antecedens. At hinc tantum sequitur, quod potuerit statui, quod talis reus immunitate priuetur, non autem quod de facto sic statutum sit, cum contrarium in Gregoriana appareat. Quapropter pro reo stat regula generalis, quod immunitate gaudere debeat: ita vt si ius commune in cap. frater 10. causa 17. q. 4. vel alibi oppositum præceperit, id iam correxerit Gregoriana.

SECTIO XXI.

An immunitate priuetur occidens clericum vel Regularem, vel etiam Episcopum?

SVMMARIVM.

- 1 Occidens clericum, vel regularem, vel etiam Episcopum, non priuatur Ecclesie immunitate, cum non sit homicidium de exceptis.
- 2 Occidens supradictos contrahit excommunicationem, non autem amittit immunitatem, quia privilegium est concessum loco sacro, non personæ sacre.
- 3 Excommunicationi esse annexum effectum priuandi excommunicatos immunitate, non reperitur in iure.
- 4 Occidens clericum saltem consensum in sacris est parricida, sed improprie, & dato, quod esset proprie, diximus parricidam gaudere immunitate.
- 5 Occidens clericum committit sacrilegium, & tamen per ea quæ dicta sunt, non eximitur ab immunitate.
- 6 Occidens clericum committit crimen læsæ maiestatis, sed remotè.
- 7 Occidens clericum licet delinquat in Ecclesiam, non tamen delinquit materialiter, quod oporteret, vt priuatur immunitate.

H 8 Ecclesia

- 8 *Ecclesia cum diligit inimicos, ac se persequentibus beneficiat, occisores amplectitur.*
 9 *Immunitas Ecclesiarum est solum in ordine ad iudices seculares, non item in ordine ad iudices Ecclesiasticos.*

Responderetur etiam negatiue, ob easdem rationes supra dictas, quod scilicet inter homicidia excepta non ponatur, nisi homicidium proditorium, quale non est homicidium, de quo nunc loquimur. Atque ita docent Peregrin. de immunit. Eccles. c. 12. n. 13. Diana p. 1. tract. 1. resol. 39. Boer. decis. 109. n. 7. in fin. Farinac. de immunit. cap. 7. n. 114. retractans sententiam oppositam, quam prius docuerat in tract. de carcerib. q. 28. num. 29. Mar. Ital. de immunit. lib. 1. c. 2. §. unic. n. 6. & c. 5. §. 3. n. 79. Giurba consil. 70. n. 9. Anton. de Marinis in quotid. resol. c. 170. n. 14. & Ceual. p. 2. q. 101. contra Decian. lib. 6. c. 28. Ricc. in prax. p. 2. resol. 290. Sanch. in select. disp. 44. n. 52. Villadieg. in Poli. c. 3. n. 212. Cutell. de immunit. Eccles. lib. 1. q. 24. Suar. de Paz in prax. tom. 1. part. 5. c. 3. n. 169. Ludouic. Corream in relect. de immunit. Eccles. p. 3. n. 37. & Bobadil. tom. 1. lib. 2. c. 14. n. 47. qui citat Vasquium, & Remigium: videri etiam poterit Barbosa de iure Eccles. tom. 2. c. 5. n. 123.

2 Obiicies ex Cutell. loc. cit. qui occidit clericum, vel Regularem, &c. contrahit excommunicationem: ergo priuatur immunitate Ecclesiae.

Respondetur, concedo antecedens: at nego consequentiam, quia tale priuilegium concessum est loco sacro, non autem personae sacrae. Vnde clericidium (ut dicebamus) non reperitur inter homicidia excepta; nec, quod excommunicatio habeat talem effectum, 3 reperitur in iure vnquam expressum. Vide quae dicebantur supra dub. 10. sect. 3.

4 Obiicies secundo, qui occidit clericum, saltem constitutum in sacris, est parricida, cap. quis 9. dist. 96. ibi: *Quis dubitet, Sacerdotes Christi, Regum, & Principum, omniumque fidelium patres, & magistros censeri?* Ergo priuatur immunitate.

Respondetur: distinguo antecedens, est parricida improprie, concedo: at in casu nostro ex dictis supra sect. 3. non est facienda extensio ad alia, praesertim ad impropria: est parricida proprie, nego. Respondetur secundo, transeat antecedens, at nego consequentiam, quia neque parricida proprie priuatur immunitate Ecclesiae, sicuti dicebam supra sect. 14.

5 Instabis, committit sacrilegium: ergo.

Respondetur, concedo antecedens; at nego similiter consequentiam, per ea quae dicebantur supra sect. 8.

6 Reinstabis, committit crimen laesae Maiestatis diuinae: ergo.

Respondetur, distinguo antecedens: ita ut committat immediate in Deum, vel in personam Principis (quod requiritur, ut quis immunitate Ecclesiae priuatur) nego: ita ut committat mediate, seu remote (quod nihil obstat) concedo. Vide, quae dicebantur supra dub. 23. sect. 4. & seqq.

7 Vregebis, delinquit in Ecclesiam, cum laesus clericus representet Ecclesiam: ergo.

Respondetur, distinguo antecedens: delinquit in Ecclesiam, ita ut delinquat in materiale, in illa scilicet occidendo, vel mutilando (quod requiritur, ut quis immunitate Ecclesiae priuatur) nego: ita ut delinquat in Ecclesiam alio modo, transeat. At hinc nihil sequitur contra nos, cum in poenis, praesertim in casu nostro, non valeat argumentum a maioriore, nedum a paritate rationis, ut supra sect. 3. dicebamus. Ut omit- tam, quod Ecclesia, cum diligit inimicos, ac se persequentibus beneficiat, occisores amplectatur.

8 Caterum, an saltem qui occidit, vel quocumque alio modo offendit S. R. E. Cardinalem, immunitate priuatur? Vide supra dub. 23. sect. 1. n. 7.

Reurgebis ex eodem Cutellio, si clericus delinquit, 9 & confugit ad Ecclesiam, non gaudet immunitate Ecclesiae: ergo par est, quod si laicus delinquat in clericum, neque gaudeat immunitate Ecclesiae.

Respondetur, transeat antecedens: quod dixi, quia satis probabile est oppositum, uti dicebatur dub. 10. sect. 12. Nego tamen consequentiam, quia immunitas Ecclesiarum est solum in ordine ad iudices seculares, non item in ordine ad iudices Ecclesiasticos, ob rationes dictas cit. sect. 12.

SECTIO XXII.

An priuatur immunitate quoad crimina non excepta, delinquens in crimine excepto?

SVMMARIVM.

- 1 *Delinquens in crimine excepto non priuatur immunitate quoad crimina non excepta, siue ante, siue post commissum.*
- 2 *Causa procedit si iudex non intendit punire in eo homicidium proditorium, sed solum casum non exceptum.*
- 3 *Non est improbabile reum posse absolute extrahi ab Ecclesia ob alia delicta non excepta, quando ob excepta absolute priuatur immunitate.*
- 4 *Contrarium videtur probabilius, quia penales Constitutiones immunitatem derogantes accipiendae sunt in rigorosa, & formali significatione.*

Responderetur, quod delinquens in crimine excepto, 1 neque priuatur immunitate quoad crimina non excepta, siue ante, siue post commissum, v.g. quod homicida proditorium non priuatur immunitate quoad crimen adulterij, stupri, simplicis furti, &c. siue ante, siue post commissum. 2 Casus autem procedit, si iudex non intendit punire in eo homicidium proditorium, quia si illud punire in eo intendat, & ob illius causam reum ab Ecclesia extrahat, absque dubio in tali casu in eo reliqua crimina punire potest, quia tunc non censetur iudex reum extrahere ab Ecclesia ob alia crimina, sed iam iuste extractum punit. At si solum non excepta crimina in eo punire intendit (quamvis non impro- 3 babile sit, reum extrahi etiam posse, quia absolute immunitate priuatus existit) tamen probabilius vide- 4 tur, extrahi non posse, quia penales Constitutiones immunitatem derogantes, accipiendae sunt in rigorosa, & formali significatione: & sic Constitutio excludens reum ab immunitate in quibusdam casibus, accipienda est in eadem significatione, ita ut solum comprehen- dat delinquentes, quatenus tales sunt, id est, quatenus talia crimina commiserunt, & quoad alia crimina se- curi mancant, praesertim cum Constitutio Gregorij XIV. vetuerit extrahi ab Ecclesia delinquentes, nisi pro delictis exceptis, sublata facultate aliter interpretandi. Atque ita contra Peregrinum de immunit. cap. 6. num. 20. Ambrosinum cap. 5. num. 10. Sanchez in select. disp. 44. num. 52. & Sarpum de iure asylorum, cap. 5. fol. 60. do- cent Farinacius de carcerib. q. 28. num. 67. in fin. Decian. tract. crimin. lib. 6. c. 26. n. 6. Diana part. 1. tract. 1. resol. 39. & Bonacina disput. 3. quaest. 7. de immunit. punct. 4. in fin. num. 23. Vide quae dicebantur supra dub. 10. sect. 4. & dub. 22.